



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 2. Vagine, & forenses possint dispensari à superiori illius loci, in quo de
præsenti resident.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

An religiosi respectu sui Episcopi.
De his ergo sigillatim est dicendum.

§. I.

Quilibet superior secum dispensare potest.

- 1 De dispensatione indirecta non est dubium.
- 2 Quoad leges, vota iuramenta, probabiliter est directa dispensatione posse praelatum secum dispensare.
- 3 Extenditur doctrina ad praelatos, religiosos, &c.
- 4 In censuris non potest secum dispensare.
- 5 Probabile est posse in irregularitate, inhabilitate, & depositione ipso iure contractis.

DE dispensatione indirecta nemini potest esse dubium, secum posse superiorem dispensare. Quando enim praelatus in lege ieiunii, vel continentis, necesse in illa dispensatione includitur, sicuti includitur, cum distribuit indulgentias pro tota communitate, quia ipse est pars precipua illius; debet ergo in illa dispensatione includi. Sic Sorus 4. dist. 2. 2. qu. 1. 1. in fine corporis. Ludovicus Lopez 2. part. instr. cap. 5. c. 1. Suarez tom. 3. disp. 82. sect. 2. circa finem. Et loquens de indulgentiis 4. tom. disp. 5. sect. 1. n. 20. Sanchez lib. 6. cap. 12. n. 8. Item nemini esse potest dubium posse alteri vices suas committere, qui dispensationem ei concedat: tum quia in cap. fin. de pœnit. & remissionem datur facultas praelatis excomunicatis eligendi Confessorem, qui eos absolvat, ne cogantur superiorem absentem adire. Sed hæc ratio est eadem in dispensatione. Ergo Tum quia congregatio Concilii decrevit facultatem datam Episcopis (sess. 24. c. 6. de reform. abolendi, & dispensandi sibi subditos, posse cum ipsis Episcopis à Confessario ab illis electo exerceri. Tum denique, quia praelati non debent esse deterioris conditionis, quam subditi, qui præ manibus habent, quo eum possunt absolvi, & dispensari; ipsi vero debent absentem superiorem querere, sic docet innumeratos referens Sanchez lib. 8. disp. 3. num. 3. & in Decalog. lib. 2. cap. 11. numer. 11. Suarez tom. 3. de censuris, disp. 41. sect. 2. à num. 9. Garcia de benef. part. 11. cap. 10. numer. 139. Augustino Barbola ad c. Concilij sess. 24. cap. 6. Basil. de Leon. lib. 8. cap. 4. num. 9.

2 Solum est dubium de directa dispensatione, an scilicet quilibet praelatus possit secum dispensare in legibus, votis, iuramentis, irregularitatibus, & aliis penis, in quibus possunt cum subditis?

Respondet, quoad leges, vota, & iuramenta atinet, probabiliter credo superiorem secum dispensare posse, sicuti potest cum suis subditis; est communis ut sententia, ut multos referentes docet Couarr. cap. alma, 1. part. §. 1. n. 7. Sanchez lib. 8. disp. 3. num. 6. & lib. 4. in Decalog. cap. 37. num. 40. Salas disp. 20. sect. 3. diff. 1. 2. & sect. 11. Suarez ubi supra, de legib. lib. 3. cap. 11. à num. 8. Baius lib. 8. cap. 4. num. 9. Bonacina disp. 1. qu. 2. punct. 1. num. 9. & alij apud ipsos. Ratio est, quia neque ex iure naturali neque est positivo repugnat aliquem secum dispensare. Ergo non est negandum superiori. Non inquam ex iure naturali, quia si inde repugnaret, id esset, quia dispensatio requirit distinctionem personarum; eo quod sit actus iurisdictionis, & nemo videtur in se ipsum iurisdictionem posse exercere, & sibi ipsi subditi. Sed ex hoc capite nulla est repugnantia, quia iurisdictione, quæ requirit distinctionem personarum, est iurisdictione coactiva nemo enim à seipso cogi potest. Item iurisdictione contentiosa, quæ inter partes fieri debet. Item est iurisdictione in actu sententiæ, nemo enim se ipsum sententiarum, condemnare, vel absolvere in aliqua causa potest. At iurisdictione, quæ in dispensatione exercetur, neque est contentiosa, neque condemnatoria, aut absolutiva, sed omnino voluntaria. Ergo non repugnat, ut in se ipsum quis illam exercat. Explico hæc rationem. Hæc dispensatio esse potest in lege propria, vel in lege superiori. In lege propria non est propria dispensatio nemo enim sua lege proprie, & directe ligatur sed ligatur lege naturali dicente non esse excusandum ab observatione suæ legis, cum honestam aliquam causam excusationis non habeat: & posito, quod directe propria lege esset ligatus, facillimo negotio se ab illa solvere posset, nolens obligari, siquidem ex propria eius voluntate obligatio legis penderet. Si vero dispensatio faciendâ sit in lege superiori, & ex illius commissione, quod obstat superiori committere suas vices inferiori, ut quovis sibi visum fuerit dispensare cum subditis, vel secum in obligatione legis id facere possit: sic ergo creditur esse commissum, ne superiores deterioris conditionis sint quam subditi, Et eodem modo dicendum est in voto, & iuramento. nomine enim Dei obligationem superiores remittunt quibus à Deo hæc potestas non solum quoad subditos, sed etiam quoad ipsos censetur concessa. Et iure autem positivo nullibi invenitur prohibitum generaliter, superiorem non posse secum dispensare in his que

potest cum subditis. Quocirca, si alicubi reperitur prohibitum, ne in se ipsum quis iurisdictionem voluntariam exercat, id est, in materia ambitiosa, & fraudibus subiecta, non tamen in dispensatione legis, voti, & iuramenti, ut no. ex cap. per nostras, de iure patronatus, ubi nullus se ingerere debet Ecclesiasticæ praelationis officio, & cap. fin. de institutionib. ubi dicitur cum qui beneficium conferre potest, non potest se ipsum instituire. Et licet ibi subdatur ratio, cum inter dantem & accipientem debeat esse distinctio personarum, non est illa ratio generaliter sumenda, sed in illa materia beneficiorum ob inconueniens maximum, quod esset, si praelatus beneficiorum distributor sibi ipsi conferret, ut rectè docuit Abbas suprad. cap. num. 5. & cap. ex litteris, n. 11. & 12. de probationib. & idem constat ex Clement. 2. de rebus Eccles. non alienand. ubi vno Ecclesiæ alteri facta de consensu Episcopi, & Capituli valet; secus si ipsi Capitulo vno fieret, eo quod in proprio facto, ut ait glossa, in materia ambitiosa nemo ius sibi dicere possit. In quo sensu explicanda est lex 2. ff. de author. consens. tutor, ubi regula iuris est, in rem tuam tutorem autorem fieri non possis; & alia plura, quæ traduntur à Gotofredo ibi §. 9. ff. de pœnit. Neque obstat aduersus hæc doctrinam in c. magna, de voto ubi laudatur Episcopus Trecentis, eo quod noluit se voti obligatione exemptum iudicare abique concilio Sedis Apostolicæ, cum videtur id posse eo quod causa voti cessaret, ut glossa ait, verbo consilio. Quia nemo iuramentum, vel votum suum debet interpretari Non inquam obstat, quia ibi laudatur, non quia fecit opus necessarium, sed quia fecit opus supererogationis & maxime decens.

3 Supradicta doctrina extendenda est ad praelatos religiosos generales, provinciales, priores, rectores, & vicerectores, & qui illorum vices in absentia gerunt; quia hi omnes iurisdictionem habent quasi Episcopalem, sic Sanchez relatis pluribus disp. 3. n. 9. Suarez de legib. cap. num. 11. Basil. num. 12. Salas sect. 12. n. 105. & est expressa sententia D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 8. Et generaliter idem dicendum est de quolibet habente potestatem dispensandi cum aliqua communitate, cuius ipse pars fuerit, censetur & secum posse in eisdem dispensare, ne deterioris conditionis fiat.

4 Dixi praelatum dispensare posse secum in lege superioris, & in votis, aut iuramentis, à se factis, quæ potest cum sibi subditis nisi expresse prohibeatur. De censuris autem aliter dicendum existimo: si enim censura aliqua ligatus sit v. g. ex communicatione, suspensione, aut interdicto, non potest nisi medio sacerdote à se electo absolvi, quia hæc tolli non possunt nisi absolute, & absolutio est quædam sententia, quam in seipsum quis exercere non potest. De irregularitate, depositione, & qualibet alia inhabilitate maior est dubitatio, an possit secum dispensationem facere; Et quidem si per sententiam contraxerit, certum est non posse illam à se immediatè & directe, nec medio aliquo à se electo tollere quia illam tollere non potest nisi ex commissione imponentis, quam non est praelatum concedere, alias frustranea esset eius coactio. Et in hoc sensu verissimum est eius esse solvere; cuius est ligare, cap. cum inferior, de maior. & obediens. & ita notavit Basil. de Leon. lib. 8. cap. 6. n. 6. & cap. 7. n. 17. & fati colligere ex cap. ar. si clerici, t. de iudic. cap. 2. de bigamis.

5 At si pœna, & inhabilitas non per sententiam, sed ipso iure incuratur, credo posse praelatum secum dispensare, sicut potest cum sibi subditis; quia licet per iurisdictionem quædam ligatus fuerit, solui tamen potest, ex iurisdictione voluntaria, & directiva. Item non tam se ipsum soluit, quam soluit superior, qui pœnam imposuit; ipse enim potuit praelato committere vices suas, ut dispense in omnibus pœnis, & irregularitatibus tam secum, quam cum sibi subditis, ex qua commissione ipse secum dispensat. Et ita in hoc casu videntur sentire omnes Doctores in princip. huius §. relati. Si quidem absolute controuertunt, an praelati secum possint dispensare in omnibus in quibus possunt cum subditis, & specialiter nominat irregularitates, ut videre est in Sanch. disp. 3. c. 1. n. 2. Quare solum in casu, quo lex tantum esset praelatis lata, & pœna tantum ipsi imposita, censetur restringendam esse potestatem ut relatis aliis docet Sanch. disp. 3. n. 3.

§. II.

An vagi, & forenses possint dispensari à superiore illius loci, in quo de presenti resident.

- 1 De vagis nullibi habentibus domicilium est certum. De forensibus dubium.
- 2 Prima sententia docet dispensari posse, etsi brevissimo spacio commorentur.
- 3 Secunda expostulat, ut illuc consuanti animo ibi habitandi.
- 4 Tertia requirit domicilium.
- 5 Qualibet ex his sententiis est probabilis. Placet prima sententia in dispensatione legis municipalis, & communis.

6 Pro dispensatione voti iuramenti, aut alterius singularis impedimenti, non acquiritur sufficiens subiectio ex habitatione transeunte.

7 Imo neque ex habitatione diuturna, si domiciliaris non sit.

DE vagis nullibi habitentibus domicilium certum est dispensari posse ab eo loci superiore, ubi resident, sicuti & administrari reliqua omnia sacramenta, ratione enim habitationis subduntur, ut bene dicit Sanchez, lib. 3. de matrim. disp. 25. n. 5. & lib. 2. cap. 11. n. 8. & lib. 4. sum. cap. 57. n. 31. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. n. 12. De forensibus autem res dubia est.

2. In qua re est prima sententia, peregrinos, & forenses, etiam si breui tempore commorentur, posse à diocesano illius loci dispensari in legibus, votis, & iuramentis, sicuti possunt reliqui alij subditi sic Basil. lib. 8. cap. 5. num. 7. Mouetur quia peregrini ratione habitationis subduntur legibus illius oppidi qua transeunt. Ergo non deficit illius subiectio necessaria ad dispensationem obtinendam. Quod si congregatio Concilij, prout refert Fatina, sess. 24. Trident. cap. 6. declarauit forenses, & peregrinos posse absoluti ab ordinario loci, quia transeunt, non tamen dispensari, non est, quia deficit iurisdic-tio, & potestas ad concedendam dispensationem, sed quia regulariter deficit causa requisita. Unde, si causa adesse, creditur dispensari posse.

3. Secunda sententia requirit ut peregrini, & forenses possint dispensari in legibus, votis iuramentis, & irregularitatibus, ut illi consueant animo ibi habitandi tempore diuturno, qui animus colligitur satis, si illi consueant expediendi alicuius negotij causa, quod breui expediti non potest. Quia ratione dicunt scholasticos Academicos ab Episcopo illius loci posse dispensari, sicut possunt reliqui, sic docent pluribus relatis Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 23. num. 12. & 13. Henriquez lib. 6. de penitens. cap. 14. num. 8. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 18. num. 12. Suarez lib. 2. de diuibus factis cap. 14. à num. 6. & seq. contrarius his, quae docet lib. 6. de voto, 11. num. 11. Man. 1. sum. noua edit. cap. 55. num. 5. Ratio praecipua est, quia ratione habitationis diuturni praecipue si conducta sit domus, contahit qui quasi domicilium, & fortius forum, ita ut possit ibi de alibi gestis conueniri, ut probat Abbas cap. quod clericis, num. 5. de foro competenti. Innocentius alius relatis cap. ex parte. n. 1. eod. tit. & constat ex l. haeres abiens. §. proinde. in fine. ff. de iudic. & l. 2. C. ubi de crimine agi oportet. & ibi glossa. verbo degit. & l. quisquis. C. si certum petatur. & ibi glossa. verb. versatus. Ergo etiam in rebus spiritualibus, quales sunt dispensationes, acquiritur quasi domicilium ex hac diuturna habitatione.

4. Tertia sententia affirmat ad dispensationem obtinendam in legibus, votis, iuramentis, & penis contractis necessario requiri domicilium, neque alio modo subditi potestati dispensandi peregrinum, & forenses, sic docent Abbas, Syluest. Tabiana, Angel, & alij relati à Sanchez lib. 3. disp. 23. n. 11. Suarez lib. 6. de voto, cap. 11. num. 11. Barbosa 2. parti. de potestate. Episc. lib. allegat. 36. num. 18. Faucit huic sententiae plures declarationes Cardinalium, asserentes hunc forenses non esse subditi illius diocesis, quoad dispensationem obtinendam, bene tamen quoad abolutionem à peccatis, & censuris, quas declarationes refert Garcia de benef. 11. parti. cap. 10. num. 139. Ratio est, quia vique acquirit domicilium, non censetur verè subditi illius, quia non censetur esse illius parochianus; ut enim esset parochianus illius deberet habitare animo ibi perpetuo manendi, sicuti habitat, ubi habet domicilium: hic enim animus ad acquirendum domicilium requiritur ex l. ubi interest. 25. ff. de captiuis. & postlim. reuers. ibi neque enim satis est, corpore domum quem rediisse, si mente alienus est, & tradit innumeros referens Sanchez supra. num. 1.

5. Quilibet ex his sententiis est satis probabilis: ac ut veritas cognoscatur, aliter de dispensatione in lege municipalis, & communi, aliter in dispensatione voti, iuramenti, & cuiuslibet alterius specialis, impedimenti dicendum existimo. Et quidem de dispensatione legis municipalis, & communis affirmo cum prima sententia, dispensari posse forenses à superiore illius loci, sicuti quemlibet alium ciuem quia ad superiorem illius loci pertinet ut omnes ibi commorantes legis obseruationem impediunt, vel excusant. Ergo etiam perpendere causas, quae petunt dispensationem concedere, ergo dispensare. Confirmo. Forenses diximus obligari legibus loci illius, qua transit, ne deformitatem causet. Ergo superior loci illius iurisdictionem habet cogendi illum ad talem obseruationem, Ergo iurisdictionem, ut possit ex causa obligationem, relaxare Alias forensis deterioris conditionis esset quolibet incola si quidem esset obligatus legibus, sicut sunt incolae, & non haberet recursum ad obtinendam dispensationem illarum.

6. De dispensatione autem voti, iuramenti, aut alterius singularis impedimenti, nullo modo credo ex habitatione transeunte acquiri subiectioem sufficientem, ut possit à superiore illius loci dispensari, quia hac iurisdictionem multum pendet ex consuetudine. At hæc consuetudo sufficienter declaratur à congregatione Cardinalium admittente abolutionem pro-

pter eius necessitatem negante tamen dispensationem, quia ita necessaria non est. Ergo non debet admitti. Item ex transeunte habitatione non contahitur parochia, ut possit parochus illius parochiae monitione forensis assistere. Quod non leuiter colligitur ex cap. us quis de sepul. in 6. ubi is, qui habet domicilium in ciuitate, vel castro, quandoque ad villam ruralem se transferit recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, si non electa sepultura decedat, non in Ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali sepeliri debet. Ecce qua ratione non reputatur parochia ea, in qua breui, & transeunte quis commoratur: & docet multos referens Menochius vers. 4. consil. 398. Nauarr. consil. 6. lib. 4. consil. 111. de clandest. desponsat. Denique ordinarius illius loci, etiam possit forensibus, & peregrinis breui tempore commorantibus sacramentum Eucharistiae, & Penitentiae ministrare id habet ex concessione proprii ordinarij propter horum sacramentorum necessitatem; sed verò de sacramentis voluntariis dicendum est. Quapropter Bassius qui affirmabat eam his dispensationem posse ordinarium loci, ubi commoratur, subdit id fieri debere urgente causa, ut si contrahendum esset matrimonium ad restitutionem alicuius damni illi fecundae, vel ad legitimacionem filiorum parente existente in mortis periculo, in quibus casibus concederet eos dispensari posse non ex iurisdictione, quam per se habent ordinarij loci circa forenses ad hoc voluntaria, sed ex praesumpta voluntate suorum ordinariorum.

7. Ex habitatione autem diuturna, si domiciliaris non sit probabilis credo non sufficere, ut loci illius ordinarius dispensationem concedat. Mouetur praecipue ex declarationibus Cardinalium relatis à Garcia, & Fatina supra quae de hoc casu expresse loquuntur inquit enim congregatio: Aboluit ordinarius potest ex decreto Trident. in sacramento penitentiae forenses, qui gerit officium Praetoris, Medici vel Officialis qui habet domum, commoratur in ciuitate, vel diocesi, & in eis Ecclesiastica sacramenta percipit, non tamen poterit cum eisdem dispensare. Item est aia declaratio, quae non est subditi Episcopi: puta Medicus, Praetor, & similes exteri qui tantum habitant in ciuitate, hoc decreto comprehenduntur etiam si commiserint crimina in aliis ciuitatibus. Habita tamen hac distinctione, quod scilicet possint absoluti in sacramento Penitentiae à suis criminibus, non tamen dispensari, Et ita S. D. N. Gregorius, XIII. audita relatione Congregationis declarauit. Neque obstat dicere non posse dispensare, deficientem causa; sed illa intercedente. Nam vel est causa sufficientis, ut concedatur dispensatio ab habente potestatem, vel non si non, nullus poterit dispensare, si adest causa, & est ordinarius sicut est ordinarius ille, ubi hic forensis habet domicilium, cur non poterit dispensari? Quod si dicatur ultra causam requisitam ad dispensationem adesse causam specialem, ut ordinarius illius loci dispenset tunc praesumpta voluntate proprii ordinarij censere dispensationem esse concedendam non ex propria iurisdictione, ut dixit Suarez lib. 6. de voto, cap. 11. sine & Barbosa supra n. 18. Neque obstat extus in cap. cum nullus, de tempor. ordinat. in 6. ubi dicitur, nullus clericum alienae parochiae debeat praeter superioris licentiam ordinare. Superior in hoc casu intelligitur, in cuius diocesi promouendus domicilium obtinet. Cum ergo singulariter de sacramento ordinis dicat in hoc casu superiorem debere esse, in cuius diocesi promouendus domicilium habet tacite censetur ad reliqua sacramenta recipienda, & dispensatione obtinenda superiorem habitationis saltem diuturnae sufficere non inquam, obstat, quia per illa verba in hoc casu voluit pontifex distinguere sacramentum ordinis, praecipue Penitentiae, & Eucharistiae, circa quorum administrationem ex habitatione etiam transeunte acquiritur iurisdictione. Adde nihil, ubi Pontifex de aliorum sacramentorum administratione intendit disponere, sed solum quid in administratione ordinis seruandum sit, decidit alia relinquendo dispositioni iuris

§. III.

Quid dicendum de subditis suffraganeis, an possint à Metropolitanano dispensari.

1 Resoluit non posse.

2 Emmerantur casus, in quibus potest.

Dicendum est non posse, quia Metropolitanus non habet in suffraganeos potestatem, nisi in aliquibus casibus à iure concessis, ut dicitur in cap. pastoralis de officio ordinarij, ubi cum tamen exceptis quibusdam articulis nullam habeat potestatem. cap. 1. in princ. de foro competenti. lib. 6. c. de eo, de officio ordinarij. & c. nostra, de penitentijs. & remiss. ubi conceditur tamen quid speciale posse in suffraganeis Ecclesiis indulgentias concedere. Signum ergo efficax est alia non posse, & ita tradunt ex communi sententia Syluest. verbo votum 407. 3. Sayrus lib. 6. cap. 11. n. 79. Suarez lib. 6. c. 10. n. 8. Barbosa 2. parti. de potestate. Episc. alleg. 36. sine num. 20. Bail. lib. 8. cap. 5. num. 9. Thom. Sanchez alios referens lib. 4. sum. cap. 38. num. 11.

2. Bassi